Quelle: http://manuscripta.at/?ID=36569
Copyright: Göttweig, Benediktinerstift

M. Dupliciter damnabuntur. D. Proba qua de causa sacer-
dotes missam celebrare debeant. M. Solius dei et causa sue
salutis et totius ecclesie. Si ipsi causa lucri faciunt, aut ut ab
hominibus honorentur, indignatione sunt digni. Qui autem misterium pas-
sionis Christi vendunt, quid nisi Christum vendunt? Cum vero sor-
didis manibus et polluta conscientia illud tractare presumunt
in eius conspectu nec celi mundi sunt, quid aliud faciunt quam
dominum contempnunt? D. Potest populus de eis culpam trahere?
M. Cum filii Heli sacrificium polluerent, totus populus pene interi-
it. Unde patet quod ceci istos cecos in foveam secuntur, immo
communicando eos comitantur. D. Quid si inscii eis com-
municaverint? M. Qui tangit picem inquinabitur ab ea.
Et omnes qui eis licet inscii communicaverint ab eis contaminan-
tur; qui si resipuerint, error non nocebit. D. Conficiunt
corpus domini tales? M. Quamvis sint damnatissimi, tamen per ver-
ba que recitant ibi fit corpus domini. Non enim ipsi sed Christus consecrat.
Et per inimicos salutem suis operatur, unde et a pessimis non peioratur,
et ab optimis non melioratur. Sicut radius solis a ceno cloace non
sordidatur, nec a sanctuario splendificatur. D. Sed cum igitur bonum sit quod per
eos conficitur, et accipientibus non ab eis sed a Christo detur, cur bo-
num percipientibus in malum vertitur? M. Illa perceptio non solum
non prodest sed obest, si contra interdictum ab eo accipitur. Unde non de-
bet. D. Proba. M. In paradiso nullum pomum malum
erat, cum deus fecit omnia bona valde. Sed homo bonum sibi in ma-
lum vertit, cum a serpente immo a diabolo percipere non recu-
savit. M. Si quis est positus velo iusticie, ab eis communio- D. Si quis positus est in periculo mortis, num muniendus est ab his viatico?
nem accipere renuerit, et se per os sacerdotum in unitate ecclesie
cotidie communicare non dubitaverit, hic credo hac fi-
de salvari si obierit. Si quis vero ex opera exercens, et bonum Christi
venerans, ab eis simpliciter communicat, et hic credo hac fi-
de salvari, quia et Ioseph corpus Ihesu a Pylato accepit. D.